



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

33. Balduinus Pius, Flandriae Comes, Arnulphum Aldenardensem
Castellanum, eiusq[ue] successores constituit Subaduocatos monasterij
Eihamensis, an. 1064.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

VINDICIANVS.) De priuilegio exemptionis, Vedastinae Abbatiz, per Vindicianum Cameracensem Episcopum, vt scribunt, concessio, vide supra cap. 10.

CAPVT XXXIII.

Balduinus Pius, Flandriae Comes, Arnulphum Aldenardensem Castellatum, eiusque successores constituit Subaduocatos monasterij Eihamensis, an. 1064.

BALDVINVS, per Dei clementiam, Princeps Flandrensium Walberto Abbati de Eiham, eiusque successoribus salutem. Quoniam ecclesia Eihamensis, cui praestis, à me, & à coniuge mea ADELA, praecipue fundata de mensa nostra, beneficia, quibus monachi viuere debeant, accepit, dignum duxi Aduocatiam eiusdem ecclesiae, in manu mea, & successorum meorum Comitum retinere.

Sed quia vicini eiusdem ecclesiae nonnullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos saepe recurrere vos oportet, nos vero circa curam nostri Principatus occupati, de singulis minutis rebus non valemus ad adiutorium vestrum venire, alia via aggressi sumus vobis consultum facere.

Igitur Arnulpho de Aldenarda, quia vobis vicinus est, iniungimus supplere vicem nostri, in paruis tantum negotijs, nobis maiora reseruantes. Quod vt oportunè & fideliter agat, vel ipse, vel quicumque, successorum eius Turrim Aldenardensem tenuerit, de redditibus rucolarum, hospitum, aliorumque mancipiorum ecclesiae, pro quibus tuendis laboraturi sunt, centum solidos, per manus Abbatum, vel monachorum, annuatim eis dari decernimus; ea ratione, vt nec in ecclesia, nec in omnibus his, quae ad ecclesiam pertinent, quidquam iuris, vel distinctionis amplius requirere praesumant.

Tanta enim libertate ipsam ecclesiam donauimus, vt omnium hominum, & aliarum rerum, ad eam pertinentium, in tota nostra ditione, nullum alium Aduocatum praeter me, vel heredem meum Comitem Flandriarum, esse decreuerim.

Si ergo praefatus Arnulphus, vel quisquam successorum eius, hanc constitutionem nostri priuilegij transgressus, bannum nostrum

strum infregerit, pro contemptu nostro, & temeritate sua, mihi, vel heredi meo XL. marcas argenti perfoluet, & Ecclesiæ, quod suum est, restituet.

Actum est hoc apud S. Audomarum, præsentem conjugem meam Adela, filijs meis Balduino & Roberto, Bouone Abbate S. Bertini, Hugone, Arnulpho de Aldenarda, Reingoto de Gand, anno Domini M. LXIII. 1046.

NOTATIO.

ADELA) Roberti Francorum Regis filia, Balduino Pio Flandriæ Comiti duos filios genuit, Balduinum cognomento Montanum, & Robertum Frisium: quorum hinc fit mentio. De ijs vide nostra Stemmata Principum Belgij cap. 19.

CAPVT XXXIV.

Henricus IV. Imp. dona, per Comites Hollandos Ecclesiæ Ultraiectinæ ablata, eidem anno 1064. restituit, interuentu Friderici, Godefridi & Gerardi, Ducum Lotharingia.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. HENRICVS diuina fauente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, qualiter nos ea dona, quæ iniuste ablata fuerant sanctæ Dei Ecclesiæ Traiectensi à Theoderico Comite, eiusque filijs, tempore Adelboldi eiusdem sedis Episcopi, pro quibus & Imperator Henricus, & auus Conradus, & pater noster Henricus plurimum laborauerunt, plura bella fecerunt, nos quoque nostrique fideles multum laboris impendimus:

Notum, inquam, esse volumus, qualiter ea ob remedium animæ nostræ, & patris nostri Henrici, aliorumque antecessorum nostrorum, interuentu quoque & consilio Principum nostrorum, Annonis Coloniensis Archiepiscopi, Sigefridi Moguntini, Euerhardi Treuerensis, Athalberti Bremensis, Burchardi Halberstadiensis, Friderici, Godefridi, Gerardi, Ducum, aliorumque nostrorum fidelium, nec non ob fidele seruirium Vuilhelmi, eiusdem sedis Episcopi, reddimus & restituimus, & regali auctoritate eidem sanctæ Ecclesiæ confirmamus.

I 2

Data